



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

Nobilissimo Et Amplissimo Viro Ac Domino D. Constantino A Lieskirchen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

NOBILISSIMO
ET AMPLISSIMO
VIRO AC DOMINO

D. CONSTANTINO
A Liefkirchen.

INCLYTAE ET LIBERAE IMPERIA-
lis Reipubl. Coloniensis secundum Consuls
Domitio & Mecænatii suo gratioso.



Vm in omni negotio multū in-
terfit, N.A.D.C. quales sint, qui
bus rei gerendæ authoritas cre-
ditur, tū certè plurimū refert o-
mni quâ scientiâ, quâ perit à ar-
mâtos esse illos, qui Rerum publicarum gu-
bernaculis præficiuntur. Quæ enim singula
in alijs per se grauiâ & difficilia existunt, ea in
adminiftratione Reipublicæ conglobata in-
explicabilem & periculorum & curarum a-
ceruum cumulant. Semper, domi, foris, lætis
triftibus, interdum noctu, pro summis imis su-
dandum, algendum, excubandum: adeundæ
inimicitia, fubeundæ tempeftates, cum mul-
tis audacibus, improbis, nonnunquam etiam
potentibus dimicandū. Et in his omnibus te-
naciffimè fanctiffimèque obseruanda sunt il-
la duò diuini Platonis præcepta; Vnum qui-
dem, vt vtilitatē ciuium fic tueantur, vt quic-
quid

PRAEFATIO

quid agant ad eam referat obliti commodorum suorum; Alterum ut totum corpus sic curet, ne, dum partem aliquam tuetur, reliquas derant; sed ut omnes qui eorum regimini subduntur, sint quam beatissimi, ut neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur, neque locupletibus ad sua vel tuenda vel recuperanda obsit inuidia. Quapropter iure optimo Peripatheticæ Scholæ princeps Aristoteles 2. Ethic. lib. 12. asserit. Ars gubernandi Ciuitates, principatum in omnibus artibus obtinet. Accedit, huc quod cetera ferè aliena voce gubernantur, qui Rempublicam administrant in seipsis omnem sapientiam habeant oportet; quam regant populum stabiliant leges, castigent improbos, tueantur bonos, hortentur ad decus, reuocent à flagitio, consolentur afflictos, factaque & consulta prudentum: cum improborum ignominiam sempiternis monumentis prodant.

Quam cum diuersis in locis hoc infelici seculo, plures nudi & inermes ad amplissimos illos honores, ad Rempublicam gubernandam, nullam cognitionem rerum, nullam scientiam præditi veniunt, oriuntur vitiorum pestes, seditio-num concitantur procellæ, malorum furor impendet bonorum fortunis, funesta nascuntur bella. Dolent boni mirantur omnes quo fato hoc accadat, cum tot Platonēs, Ciceronēs, Aristoteles, Senecæ existant, qui Respublicas instruunt,

PR AEFATIO

struunt, Politias tradunt, Officia edocent, leges gubernandi praescribunt. Sed inueterata forte illa, antiquata sunt, nauseam pariunt, aut quod peregrino idiomate contexta, aut quod multis voluminibus confarta morosam nimis moram trahunt. Recetiora ergo & domestica, eaq; laconica breuitate emittenda ut vlceri pessimo praesens medicina adhibeatur.

In quam rem, cum publicae utilitatis studiosissimus olim Matthaeus Timpius diu incubisset, tandem hoc elegans opusculum multo labore non minoribus impensis expoliuit, & *Speculum boni Magistratus* nuncupatum; excudi voluit, Ut in eo velut in lucidissimo Speculo qui ad Reipubl. clauum aut sedent, aut applicandi erunt, clare Boni Magistratus munia intueri, & noxia amputare, salutaria vero propugnare docti ita dextere feliciterque prouincijs suis fungi queant, ut nec diligentiam simultatem, nec liberalitas periculum, nec seueritas perniciem accersat. Itaque ut defuncti voto responderem, & quem sibi communis Patria deposcit, foetum posthumum non supprimerem, Speculum illud Boni Magistratus nunc in lucem edidi; Tuo vero potissimum Nominis insigniendum curavi, ut qui huius inclytae Ciuitatis fasces summa cum laude geris ceu sol quidam radijs tuis illabaris, & iubare tuo tum illustrius tum gratius futuris aliquando Magistratibus reddas. Hortantur

PRÆFATIO

hocAmplitudinem T.præclara nobilissimo-
rum maiorum tuorum monumenta, com-
munis omnium vtilitas postulat. Patriæ ef-
flagitat caritas; Cui vt te Deus O. M. diu in-
columnem seruet precor. Dat. Anno 1617. ip[s]is
Nonis Aprilis.

*Nobiliss. & Ampliss. D. T.
Humillimus Cuius*

*Petrus Henningius Ciuis &
Bibliopola Colonien[s]is.*

DVCEN.